



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

De fine Recollectionis annuæ per Exercitia Spiritualia octiduana,
quærendo. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

CAPVT PRIMVM.

De fine Recollectionis annue per Exercitia
Spiritualia Octidiana querendo.

1. **I**N omnibus occupationibus nostris, eae ut
Coll. 1. succedant bene, ante omnia habenda est ratio
cap. 2. Finis, ob quem eae suscipiuntur, ut ait Abbas
Moyses apud Cassianum. Ita enim fiet, ut apta
eligantur media, ad consequendum finem pre-
fixum. Peregrinantibus in hac presentis vitae vastissi-
ma solitudine, inquit B. Iustinianus, oportet nos non
I. de hum. ignorare quod tendimus. Nam ambulare quotidie,
cap. 14. non praeditato nostrum itineris sine imprudentissimum est.
Hoc quidem irrationabilium iumentorum est proprium,
sensu carnis non ratione moueri, pergunt vitique &
ignorant quod; Homo vero non sic.

3. Finis ergo huius Recollectionis annuae, &
cuiusvis extra annuam Recollectionem medi-
tationis, praefigendus est nobis ille ipse, quem
S. Pater Noster Ignatius statuit esse finem Exer-
citorum, omnibus communem, scilicet Prepara-
ratio & Dispositio animae, ad tollendas affectiones om-
nes male ordinatas, ut iis sublati queratur & inue-
niatur voluntas Dei, (& inuenta impleatur) circa
vita nostrae institutionem & salutem animae, ut homo
vinitat se ipsum, & vita suae rationem instituat, deter-
minatione a noxiis affectibus liberata. Sed cum ratio
status religiosi aliquid peculiare exigat, ad quod
saeculares nulla lege adiguntur, puto in Exer-
citiis a quouis Religioso peragendis finem
esse debere, plenam sui renouationem, praestantiorum
quam esse debeat in saecularibus. Porro cum sit mul-
tiplex rerum renouatio, in Exercitiis renouatio
deberet esse similis renouationi imaginis ali-
cuius antiquae: quae renouatio in duobus li-
ta est.

Primò. Ut omnia illa quae illam obscurarunt,
abluantur & abradantur, ut sine maculis & sor-
dibus munda appareat. Vitiositas autem, ut ait S.
Gregorius Nyssenus, Diuinam imaginem referenti
signo circumfusa bonum turpibus velamentis obdu-
ctum, & occultatum inutile tibi fecit. Si igitur diligenti
& accurata vita serdes cordis illas, & obductas rur-
sus ablueris, resplescent in te Diuina pulchritudo. Quae
admodum in ferro fieri solet, cum id quod paulo ante
nigrum erat, per coem detracta rubigine, splendores
quosdam in se ad solem resurgens, & nitores edit: ita
homo quoque internus, cum sordes rubiginosas abster-
serit, rursus cum originali & principali forma, simili-
tudinem recuperabit, ac bonus erit. Haec animae ma-
culae melius cognoscuntur tempore Exercitiorum,
ut experientia docet eos, qui illis accuratè
vacant. Alioquin alias multi tepidi, ut scribit S.
Chrysostomus, Non cogitant animae deformitatem,
nec ipsius animaduertunt turpitudinem, sed in constri-
na quidem sedens & tondens caesariem aspectu speculo,
crinum compositionem exanimis diligenter, & astan-

tes consulis. & ipsam tonsorem, an bene qua circa fron-
tem sunt composuerit. Et cum sis plerumque senex, iuue-
nibus insanire vanitatibus non erubescis. Anima vero
nostra deformitatem non aspiciamus; verum neque be-
sistalem indutam speciem & Scyllam, aut Chymeram
quandam, iuxta Poetarum fabulas, effectum vel pau-
lulum animaduertimus. Animaduertentur autem
maculae deformantes animam; si bene Exerci-
tia peragentur. Nam tempus Exercitiorum est
reliquis ordinariis aptius ad introspectiendum
statum conscientiae nostrae. In speculo autem con-
scientiae nostrae, inquit S. Bernardus, status exterioris
& interioris hominis cognoscitur. Anima enim non
nouit se, quae sine speculo est. Speculum mundum, cla-
rum & purum totius religionis, bona conscientia. Sicut
enim mulier quae viro suo siue amico placere desiderat,
in contutu speculi imaginem oppositam reddentis, de-
corem & pulchritudinem faciei componit; sic anima in
quibus ab imagine veritatis discedat, vel in quibus ve-
stigia creatricis imaginis recipiat, in conscientia relegit
& intelligit. Non immerito conscientiam speculo com-
parauimus quoniam in ea tanquam in speculo, rationis
oculus tam quod decens, quam quod indecens est; in se
claro aspectu apprehendere potest. Sed non satis est,
tempore Exercitiorum, in hoc conscientiae speculo
agnoscere maculas animae nostrae imaginem
foedantes, easque siue bonam confessionem,
siue manifestationem conscientiae extra confes-
sionem factam, siue aliis modis in S. Ecclesia vli-
tatis, abolere, ideò

Secundò danda est opera, ut si vel vetustate
temporis vel aliqua alia iniuria, non bene cet-
nitur illa imago repraesentare suum prototy-
pum, nouorum appositione colorum reddatur
quam simillima suo prototypo Deo. Nam si per-
fecti viri, ut ait B. Laurentius Iustinianus, renouan-
tur penè singulis horis spiritu mentis sua; & induunt
obnoxiu hominem secundum Deum formatum, progre-
diunturq; de virtute in virtutem; & transformantur
de claritate in claritatem, quatenus quantum possibile
est, configurentur imagini increatae ad cuius imaginem
creatos se esse cognoscunt; quanto magis ij serui
Dei, qui longe à perfectorum virorum classe
distant, & sunt dissimiles Deo, se quotidie re-
nouare debent, ut sint ei simillima imago. Ut
enim ait S. Chrysostomus: Psequequod veluti in pi-
ctura circumducatur quis colores, umbra quadam est; et
cum verò flores ipsos colorum inunxerit & imposuerit,
tunc imago efficitur.

Cum autem imago ad quam creati sumus,
sita sit in tribus animae nostrae potentis, intel-
lectu, memoria, & voluntate, cum animam no-
stram vnitis, ut ait S. Ambrosius; & similitudo no-
stra cum Deo, consistat in virtutibus animam
ornantibus, vti docent Sancti Patres Latini &
Graeci, imò & Simplicius Ethnicus, dicens: Ad
Dei similitudinem contendentes (ea verò similitudo est
sapientia duce, fieri iustum & sanctum) Deum acco-
dimus & cum Deo coniungimur. Deo similis est, in-
quit Plato, Vir bonus. Imò sacratissimum omnium est
uel

in Beati
mundo
corde.

h. 23. ad
ppp.

BAC

vii

vir bonus, profanissimum contra, vir malus. Renouatio notii in his Exercitiis procuranda, debet versari circa renouationem intellectus, memoria, ac voluntatis, per abolitionem peccatorum; & circa virtutum acquisitionem, & acquisitionem vsum, quibus anima tanquam coloribus ornatur, vt ait S. Chrysostomus hom. 21. & 32. ad pop. S. Bernardus sermone 27. in Cantica. 8. Sed videamus S. Chrysostomum: *Virtutis munus est, quasi amittere ammam, & quidem amittere exornando* Et S. Gregorius Nyssenus: *Hanc anima veluti Regina purpuram esse ac regium cultum, & viuos colores, quibus in animâ pulchritudo diuina exprimitur.*

Quocirca in Meditationibus faciendis, tum tempore Collectionis proximæ, tum quouis alio illud spectandum erit, vt & abradantur omnia illa, quæ hæcenus macularunt & fordidas fecerunt potentias animæ nostræ, & vt ea inducantur, quæ possunt animam nostram & corpus nostrum reddere quàm simillimū Deo incarnato, suam Diuinitatem, nostro corpore, hypostaticè sibi vnâ cum animâ & potentis vnito, velante, & se nobis ad imitationem eius virtutum & modum eas exercendi, instar ideæ & speculi cuiusdam, proponente. Nam, vt præclare ait S. Basilius, *Omnia bona actio, & omnis sermo Seruatoris Nostri Iesu Christi, canon est pietatis ac virtutis. Et huius gratiâ homo factus est, vt velut imagine quadam pietatem nobis & virtutem delinearet, vt quisque pro sua facultate, conspiciat illâ, imitaretur archetypum. Nam ideo corpus nostrum gestat, vt & nos ipsius vite conuersationem, quantum possibile est, imitemur.*

Hæc renouatio si fiat in rebus supra dictis, implebimus omnem iustitiam, exemplo Christi ad Sancto Iohanni Baptistæ, sub tempus sui baptismi, commemorantis: quia, iuxta doctrinam Spiritus sancti, & expositionem S. Thomæ, *partes iustitiam nostram integrantes sunt duæ, nimirum, vt dicitur in Psalmis, Declinare à malo, & facere bonum.* Quod ait ibidem, *esse actum completiuum, & quasi finalem iustitiae.* Malum declinatur per abluitionem & abrasionem omnium macularum & sordium nostram imaginem denigrantium: bonum verò fit, per acquisitionem earum virtutum quæ nobis desunt, & vsum bonum & ordinatum earum, quas acquisitas antea, & diuinitus nobis infusas habemus.

Porrò maculæ imaginem potentiarum nostrarum & animæ deturpantes, sunt triplices: *Primò* peccata. *Secundò*, imperfectiones. *Tertiò*, obligatio subeundarum poenarum in hac vel in alterâ, vel in vtraque vitâ, quæ etiam culpis peccatorum ablutis, vt plurimum, solet in nobis remanere. Quocirca danda est opera, vt ab his maculis penitus mundemur in hac octiduanâ Collectione, & suo modò, in quotidianis meditationibus.

A peccatis quidem, per bonam confessionem

Generalem: Ab imperfectionibus, per magnam earum detestationem, & reliquo tempore per magnam eorum fugam: Ab obligatione poenarum, per ardentissimos actus internæ poenitentiae (sitos in dolore ardenti ob offensum Deum) & ignitum amorem bonitatis infinitæ, toties & tot modis offensa à nobis. Quod facilius assequemur, si deinceps constanter (cum maiorum licentiâ) externarum poenitentiarum nostro corpori molestarum vltus frequens accesserit, adeo omnibus Sanctis eximii, etiam in decrepita ætate, familiaris. Inter peccata autem includo violationem Regularum religiosarum, in quibusdam Religionibus, quæ etsi per se non obligent ad vllum peccatum, tamen ferè nunquam violantur sine peccato, ob causas à S. Thoma & Caietano aliisque Theologis assignatas.

Per imperfectiones inculpabiles hic intelligo, nauos quosdam in exterioribus actionibus nostris, qui etsi manifesta peccata non sint, sunt tamen improbari à Sanctis & vitæ spiritualis Magistris, imò nonnulli etiam ab ipsis Ethnicis, Harum imperfectionum è numero sunt: sedere diuicatis pedibus, vel cruribus plus æ quo protensis: sedere vno genu alteri superposito & pendente: Incedere manum vnâ, vel vtramque, instar seminantis huc illucque agitando: & his similes defectus contrarij ciuilitati & vrbani morum, à me in Opusculo de curâ minimorum enumerati.

Vt autè hæc nostri interior & exterior (quoad membra & actiones corporis) Renouatio, rectè fiat, habenda est ratio, primò finis, propter quem à Deo creati, sumus. Sicut enim in opificiis humanis & in negotiis sæculi, vt bene fiant, finis qui in iis queritur spectandus est ita & in Diuino obsequio, propter quod piæ meditationes fiunt & Collectio quotannis iteratur, finis habenda est ratio, tum communis omnibus, tum proprij cuiusque Congregationis.

Porrò finis communis omnibus, quatuor partibus constat, iudicio S. P. N. Ignatij: nimirum, *laudatione Dei, reuerentiâ erga Deum, eius seruitio, Nostri saluatione.* Nec enim hæc verba tanquam synonyma posita sunt, sed singula peculiare denotant vitæ spiritualis officium, vt bene obseruarunt antiqui Patres à S. Ignatij temporibus, Exercitiorum Directores. Vnde sequitur, omnes illas actiones tam internas quàm externas, (inter quas est locutio nostra, tanquam oris & gutturis vera actio) & omnes modos eas peragendi, emendandos esse in Exercitiis proximis, & post illa, constanter (postposito omni humano respectu) propter Deum vitandos, imò fugiendos cum quadam spiritus celeritate, qui non redundant in Dei laudem & reuerentiam (sed iis contrarij sunt) & qui dedecent veros & fideles Dei seruos, ac non profunt ad incrementum nostræ salutis, quia vel non sunt meritorij, vel

Trid. sess.
6. c. 16. &
Can. 32.

vel impediunt merita, quorum aggregatione & cumulo, crescit & augetur, nostra salus seu saluatio, sita in beatitudine æternâ Visionis & fruitionis Dei, quæ in hominibus iustis, quolibet opere meritorio (suo tempore post mortem danda) acquiritur & augetur.

Quocirca ipso Exercitiorum tempore, dum meditaberis de fine communi omnibus, postquam profundâ consideratione tibi cum Diuino auxilio persuaferis, omnino te debere illa quatuor paulo antè commemorata quærere, & in praxim deducere totâ vitâ tuâ, in omnibus occasionibus & coram omnibus personis, accuratè Examina triplicem conuersationem tuam, scilicet eam quam habes cum Deo in Meditatione, Sacro, Rosario, Confessione, Communionem, Litanis, Horis Canonis vel Officio Diuino: Item conuersationem cum domesticis, domi in recreatione, foris ambulando ad Ciuitatem, vel ad campos, aut hortum, & in itineribus, & Missionibus, vel prædiis, vel in cubiculis: Item conuersationem cum externis, in scholis, templo, sacristiâ, in eorum ædibus &c. Et si quid inuenis à te vel dici, vel fieri, vel omitti, solitum, quod non redundet in Dei laudem, & reuerentiam & seruitium, & non conducatur ad augmentum tuæ salutis, & coronarum acquirendarum suo tempore in cælo, sed potiùs his esse contraria, vel certè horum impedimenta, heroicè te resolue, ad hæc omnia renouanda modis supra dictis.

Math. 5.
20.

Quoniam verò satis non est, vt viuas sicut debet viuere bonus Christianus, imò & bonus Ethnicus, & Phariseus bonus, (quo Christus nos vult esse perfectiores in viuendi ratione, & quidem si salui esse velimus) habenda est ratio finis proprii tuæ Congregationis vel instituti. Hinc sequitur, debere te in tuis Meditationibus, præsertim Exercitiis, omnes tuas actiones, locutiones, omissiones, conuersationes, cum hoc tuo fine conferre; An sint tales, quales esse debeant in homine perfectionem quærente pro se, & pro iis cum quibus conuersaris. Et si quid inuenis repugnare perfectioni, resolue te heroicè, ad id deinceps vel vitandum, si omnino vitari debet, vel emendandum. Ideoque omni humano respectui vale dicitur.

Vt autem compendiosè dicta hoc capite proponam iis Fratibus nostris, qui non omnino perfectè viuunt, hos fines suadeo quærere in Octiduanâ Collectione.

I. Vt per eam resoluant se nunquam deliberratum vllum veniale peccatum committere, & nullam Regulam violare.

II. Vt passionem illam, cui magis sunt obnoxij, deinceps refranare curent, ne ab eâ ad peccata perducantur: & (quia hoc satis non est,) ne ab eâ valdè inquietentur.

III. Si habent praua aliqua dictamina contra-ria vel Statui Religioso in genere, vel Regulis,

vel Superiorum monitis, vel probatis consuetudinibus Societatis &c. excludant ex animo. Talia dictamina sunt, vel potiùs effectus eorum: Erubescere vel fugere mortificationes publicas, modestiam in incessu, colloquia Spiritualia, conuersationem cum magis deuotis & exemplaribus Fratibus, & his similia.

IV. Vt concipiant ingens desiderium sanctè viuendi, & merita quàm plurima congregandi, vnde sequantur hæc bona: Vt omnes particule temporis, non in otiosis colloquiis vel otio consumantur, nec in occupationibus præsentis tui statui non necessariis, nec pro futuro seruituris: Vt pro magnâ felicitate reputes, si tibi iniungantur quàm plurima faciendæ, præter occupationes tuas ordinarias: Vt omnia Ordinaria opera facias cum magnâ diligentia & seruore: Vt omnes aduersitates patienter & libenter toleres, præsertim quando iuxta præscriptum Regula 8. 9. 10. & 11. accusaberis, punieris etiam sine iusta & verâ causa: Vt lectio librorum merè spiritualium tibi magis sapiat quàm profanorum, vti etiam Oratio magis quàm colloquia otiosa & ludicra, & euagationes ac recreationes non necessariae.

V. Vt sic velint deinceps viuere, modis infra indicandis, ne post mortem in purgatorio detineantur in pœnis illis grauissimis, vel saltem ne diu ibi eas patiantur (quod fideliter & feruenter Deo seruientes, & omnes Regulas exactè seruantes, Dei beneficio, assequuntur) relinquât magnos thesauros Ecclesie pro Indulgentiis, à Romanis Pontificibus distribuendis, & tam viuus quàm defunctis per modum suffragij applicandis.

VI. Qui amaro solent esse animo, & malè contenti de suâ vocatione vel statu, sine ob priuatas aliquas offensunculas, siue ob aliqua quæ vident in aliis impunita, siue ob Superiorum gubernationem non talem qualem debere esse iudicant, hi Exercitia ad hoc quoque, & præcipuè, dirigant, vt in iis omnem amaritudinem deponant, & redeant ad animæ quietem & innocuitatem. Quod assequuntur tum aliis modis Diuinæ gratiæ, tum his, quibus Primò, Si bene penitent se ob peccata vitæ sæcularis infernum promeritos, agnoscat se maiora debere totâ vitâ pati. Secundò, Etiam ob peccata venialia quotidiana, se mereri pœnas Purgatorij, quas euadere possunt, tolerando mudi & Religionis incommoda & mala quæ patiuntur. Tertiò, si intimè penitent Christum plura passum eorum causa. Quartò, si bene apprehendant statum Religiosum, esse statum crucis, ob quem Sancti Patres Religiosos vocant crucifixos & cruciferos.

CAR